



## PROLOGVS.



**Q**VIBVS DAM videtur, quod aliquis Rex aut Princeps, auctoritate propria possit de iure aut priuilegio liberè mutare monetas in suo regno currètes, & de eis ad libitum ordinare, ac super hoc capere lucrum aut emolumentum quantumlibet: aliis autem videtur oppositum. Propter quod intendo in præsentì tractatu de hoc scribere, quod secundum philosophiam Aristotelis principaliter videtur mihi esse dicendum, incipiens ab origine monetarum: nihil temerè asserendo, sed totum submitto correctioni maiorum, qui forsan ex eis quæ dicturus sum, poterunt excitari ad determinandum veritatè super isto, ita vt omni cessante scrupulo omnes in vnã possint sententiam pariter conuenire, & circa hoc inuenire, quod principibus & subiectis, immò toti Reipublicæ proficiat in futurum.

*Propter quid Moneta sit inuenta.*

### CAPVT I.

**Q**Vando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum. Inde multiplicati sunt homines super terram, & possessiones pro vt expediebat diuisæ sunt. Ex hoc autem contigit, quod vnus habuit de vna re vltra suam necessitatem: alius verò de eadem re habuit parum aut nihil: & de alia re fuit è contrario. Sicut forsan quis abundauit ouibus, & pane indiguit; & agricola è conuerso. Vna etiam regio superabundauit in vno, & defecit in alio. Cæperunt ergo homines mercari sine moneta, & dabat vnus alteri ouem pro frumento, & alius de labore suo panem vel lanam, & sic de aliis rebus: quod adhuc longo

A 2 tempore